REVERENDO, ATQVE AMPLISSIMO VIRO AC DOMINO, VIGLIO ZVICHEMO, PRÆPOSITO GANDAVENSI, ET IN SEcreto Belgiæ Conſilio, Regiæ Maieſt: Præſidi digniſsimo, Dño, & Patrono ſuo multis nominibus obſeruando. S.P.D.

NOn arbitror ego, Reuerende Domine Præpoſite, & Præſes Ampliſsime, ex omnibus illis, qui non pauci antea, in hac Florentiſſima Academia, publicè diſputando, profectus fidem et ingenij aliquod ſpecimen ediderunt, quemquam magis iuſta ratione, concluſiones (ut cũ uulgo loquar) cuiquam inſcripſiſſe: quam haſcè meas, ego ueſtræ Reuerendæ Amplitudini dedicatas eſſe cupiui. Siquidem obſeruaui, pleroſq; ex legum candidatis, huiuſcemodi ſcholaſticis, et literarijs munuſculis, erga eos potiſſimum uiros extitiſſe liberales: quos uel publicè, de hac Academia noſtra, uel de ſe quoq; priuatim, bene meritos eſſe profiterentur: atq; ita ſuas olim lectiſſimus adoleſcens, Carolus Boijſot, quas ſub clariſſimo, cõſultiſſimoq; uiro, Nicolao Euerhardo, filio, non ſine laude, defendit (ut ex noſtratibus, & quidem ijs, qui V. R. non ſunt ignoti, ſaltem unicũ adducam) reuerendo ſeni, Nicolao Euerhardo patri, V. R. amplitudini neutiquam uulgari amicitia cõiuncto, dedicauit: quorum utriuſq;, tot, tantæq; ſunt ingenij & animi dotes: ut ampliſſimam profecto mihi, ſcribendi materiam adferrent: meamq; (quantula eſt in me dicendi copia) totam facillime exhaurirent: ſi non eſſent omnes, hic omnibus, et apud ueſtram quoq; R. A. ſpectatiſſimæ. Quamobrem, cum & ego mecum perpenderem, quanto R. V. A. fuerit olim, atq; etiamnũ ſit, huic ſcholæ noſtræ, ornamento: & quam uerum eſſe docuerit eadem, perpetuo, ſynceriſſimoq;, de Belgicis Prouincijs, incomparabili bene merendi ſtudio: MORTALIVM VITAM, VIGILIAM ESSE: digniſſimam ſanè coactus fui R. V. A. fateri, quæ coniungeretur ijs, quorum exſtant egregia, cum erga Academiam hanc, tum quoq; totius Belgiæ, publicam ſalutem, beneficia. Quæ ſi (ut quoq; res eſt) &, ut omnes cordati fatentur, in legũ præſidio, pace, tranquillitateq; publica, præcipuè ſita eſt: quis ibit inficias, quæſo, quin ea potiſſimum ueſtra prudentia cõſtituatur, atq; regatur? Quare, non poterit uel in hac noſtra ciuilis ſapientiæ palæſtra Anglopolitana, uel chariſſima quoq; patria noſtra, ueram illam Reuerentiæ tuæ, & ſtudioſam benè merendi functionem, poſteritas unquam delere: ſed eam (niſi uelit aterrima ingratitudinis labe conſpergi) ſemper retinebit: atq;, ut præſentes faciunt, prædicabit, & admirabitur. V. R. A. ualeat, atq; ſubiectas concluſiones, qualecunq; obſeruantiæ meæ ſignum, benignè ſuſcipiat, ac tueatur. Ingolſtadij, pridiè Idus Octobris, Anno 1568.

V. R. A. obſeruantiſſimus,

Iacobus Euerhardus, Medeablicenſis.

DVCE, ET AVSPICE CHRISTO: ANNVENTIBVS, DECANO, CÆTERISQVE CLAriſsimis, & excellentiſsimis Facultatis Iuridicæ Profeſſoribus: Præſide Ioanne Richardo ab Oſs, Syluæducenſi, I. V. Doctore: Codicis, & ordinario Inſtitutionum Profeſſore: ſubſequentes concluſiones defendere conabitur I. E. M.

DISPVTATIO VTILISSIMÆ, ET QVOTIDIANÆ MATERIÆ, DE EMPTIONE, ET VENDITIONE.

I.

DIſputaturi de ijs, quæ circa contractum uenditionis, & emptionis præcipuè conſiderari ſolent: non abs re feciſſe uidebimur: ſi rem fuerimus auſpicati, exordio paulo altius petito, atq; adeo ab ipſa obligationum diuiſione. (maleficio.

2. Quarum aliæ deſcendunt ex contractu, aliæ ex quaſi contractu, aliæ ex maleficio, aliæ uero ex quaſi

3. Earum quæ ex contractu naſcuntur, pariter quatuor eſſe ſpecies in confeſſo eſt, aut enim re contrahuntur, aut uerbis, aut literis, aut conſenſu.

4. Quamuis autem earum obligationum, quæ conſenſu fiunt, uariæ ſint ſpecies: nos tamen de Emptione hanc diſputationem inſtituimus, quoniam hic contractus, & frequentiſſimus, & antiquiſſimus eſt.

5. Vtputa qui de iure gentium introductus eſt. (iuris translationem ſequi.

6. Eſt aũt EMPTIO, contractus bonæ fidei, quo celebrato, traditioneq; ſecuta, contingit dominij uel

7. Sed hic inprimis obſeruandum eſt, ſine precio, emptionem nullam conſiſtere poſſe.

8. Quod tamen ita intelligemus, ut non precij numerationem, ſed conuentionem, perficere dicamus, factam ſine ſcriptura emptionem. (ſiſtere debere.

9. Vt autem, quod de precio affirmamus, recte intelligatur, admonemus illud in numerata pecunia con-

10. Idq; adeo neceſſarium dicimus, ut ſi poſteaquam de precio conuentum eſt, numeratæ pecuniæ loco res alia tradatur, emptionem contra communem DD. ſententiam eſſe negemus.

11. Item & hoc ſciendum eſt, precium certum eſſe debere.

12. Nam collatum in alterius arbitrium, ſi ille uel noluerit, uel non potuerit precium definire, tunc fuerit uenditio pro nihilo, quaſi nullo ſtatuto precio.

13. Si uero in cuius arbitrium quantitas collata fuit, non iuſtum precium definierit, tunc implorato iudicis officio, reducemus rem ad æqui boniq; lancem. (debimus quod non.

14. An autem, in alterius contrahentium, precij definitio conferri queat, ſi quis interrogauerit, reſpon-

15. Sed & hoc, ad precij certitudinem pertinere certum eſt, ſi per relationem ad aliud, conſtituatur.

16. Quo tamen caſu, quantum ad moræ & interitus periculum, pro certa ſpecie putabitur.

17. Circa precium tandem & illud obſeruandum eſt, quod ſcilicet eo non oblato, uenditor rem uenditam, ut emptori tradat, compelli non poteſt.

18. Niſi tñ acceptis fideiuſſoribus, pignoribuſue captis, aut alia ratione fidem emptoris ſecutus fuerit.

19. Quod in dubio tum feciſſe uidebitur, cum rem emptori tradidit.

20. Solent autem celebrari emptiones, tam IN SCRIPTIS, quam SINE SCRIPTIS.

21. In ſcriptis contractam cenſemus, quando nominatim partes cauent, ne ualeat actus, niſi confecta ſcriptura, fuerit in mundum redacta, & omnibus partibus abſoluta.

22. Nam ſi quid eſſet, quod efficaciter ſuaderet, partes ſcripturæ mentionem feciſſe, potius ad probandum, quam celebrandum actum, non in ſcriptis factam, ſed ſimplicem eſſe emptionem diceremus.

23. Quæ contrahitur, ſimulatq; partes de precio & re conſenſerint.

24. Quod in continenti fieri debet, niſi inter abſentes contrahatur.

25. Solet autem, non raro in emptionis argumentum, aliquid ARRHARVM nomine dari.

26. Quo caſu falluntur, qui poſt contractam emptionem pœnitentiæ locum eſſe relictum arbitrantur, ſolo arrharum diſpendio.

27. Quemadmodũ et illi, qui aſſerere non dubitant, fortius eſſe contrahere ſine arrhis, quam cũ arrhis.

28. Perfecta uero emptione, PERICVLVM ſtatim ad emptorem ſpectare certiſſimi iuris eſt.

29. Etiamſi res nondum fuerit emptori tradita.

30. Cæterum in his quæ pondere, numero, menſuraue conſtant, aliud obſeruatur, quia non aliter in his uidetur perfecta uenditio, quam ſi admenſa, adpenſa, annumeratauæ ſint.

31. Niſi tamen res per auerſionem uenditæ fuerint.

32. Si tamen contigerit, quem furto rem uenditam auferre, priuſquam tradita fuerit, compelletur uenditor rei uendicationem, et condictionem cedere emptori.

33. Quo facto liberabitur, niſi fuerit in dolo uel culpa. (uel perſequi quis poteſt.

34. POSSVNT aũt OMNES RES IN EMPTIONEM DEDVCI, quas uel poſſidere

35. Earum uero nulla eſt emptio, quas natura, uel ius gentium, uel mores ciuitatis, commercio humano

36. Rei quoq; furtiuæ (ſi conſtiterit utriq; talem eſſe) nulla conſtat emptio. (exemerunt.

37. Quod ſi ſolummodo emptori, & non uenditori fuerit exploratum, uenditor non obligabitur.

38. Si uenditor ſciuerit, emptor autem ignorauit, perfecta erit obligatio.

39. Illud AMBIGVVM ualde uidetur, an uenditor ad rem tradendam teneatur, uel in arbitrio illius conſiſtat, emptori quod intereſt præſtare, nos æquiorem ſententiam complexi, uenditorem ad tradendum teneri tuebimur.

40. Quæ tradita, ſiue tota EVINCATVR, ſiue pars eius, emptor regreſſum habet in uenditorem.

41. Ita tamen ut is, quæſtione mota, non ad reſtituendũ precium, ſed rem defendendam conueniri queat.

42. Si tamen nihilominus rem euinci contigerit, emptor non ſolum ad recipiendum precium aget, ſed

43. Si auctori ſuo cum poſſet denunciauerit. (et, quod ſua intereſt petere poterit.

44. Si uero, per imperitiam iudicis, fuerit emptor condemnatus, ex ſtipulato non aget.

45. Illud obſeruandum eſt emptori quoq;, ut auctori ſuo præſenti denunciet.

46. Quod ſi contigerit illum abeſſe, uel quidem præſentem eſſe, ſed per eum fieri, quo minus denuncietur, committetur ſtipulatio.

47. Econtra, non committetur, ſi propterea fuerit contra emptorem iudicatum, quod defuit.

48. Quemadmodum nec tunc quidem ſi cum potuiſſet uſu rem ſibi uenditam capere, non uſucepit.

49. Non ſolũ PVRE, ſed & SVB CONDICIONE contrahi emptionem poſſe, neminem cre-

50. Quæ perficitur, cum extiterit conditio. (dimus dubitare.

51. Vtrum, IN DIEM ADDICTIONIS pactum, uel LEGIS COMMISSORIAE, puram faciat emptionem, an uero conditionalem, latius ſi quis petat, explicabimus.

52. Licet hoc pacto de in diem addicendo, peculiare ſit, ut liceat meliore conditione oblata, ab emptione recedere: ſi tamen contigerit emptorem priorem tantundem offerre, tertio præferendus erit.

53. Imo neceſſe habet uenditor, meliore conditione oblata, priorem certiorem facere emptorem, ut ſi quid alius adiecit, ipſe quoq; adijcere poſſit.

54. Et niſi inter ipſos contrahentes aliter conuenerit, ſi melior fuerit uenditori allata conditio, poterit planè ſecundum emptorem reijcere, & ſequi priorem. (eo, ſed per uenditorem agi poſſe.

55. Quod de legis commiſſoriæ pacto dictum eſt, ſic intelligimus, ut affirmemus, non per emptorem ex

56. Ex quo euidenter apparet, ad emptorem, & non ad uenditorẽ die pendente periculum ſpectare.

57. Qui cum uenerit, ſi per emptorem non offeratur precium, poterit hoc uenditor petere actione ex uendito, uel (ſi malit) emptionem reſcindere.

58. Si tamen elegerit commiſſoriam, non poterit poſtea uariare.

59. Vt nec ille, qui poſt præſtitutũ precij ſoluendi diem, non uendicationem rei, eligere, ſed uſurarum precij petitionem ſequi maluit. (derit, id à priori emptore exigat.

60. Interdum & illud in commiſſoria obſeruari ſolet, ut quanto poſtea uenditor minoris rem uendi-

61. Sed hæc locum non habent, ſi cui precium offerret, nullum inuenerit emptor.

62. Quem non tenebitur uenditor interpellare, ut offerat.

63. Tandem & illud admonendum eſſe duximus. Pactum de RETROVENDENDO in contractu noſtro, ſibi locum uendicare. (modi legem obſeruare debebit.

64. Nam ſi res uæneat ea cõditione, ut quandocunq; fuerit oblatũ precium, reſtituatur, emptor huiuſ-

65. Quod ſi detrectauerit, habebitur quoq; eorũ ratio, quæ poſt oblatã quantitatẽ ad eum peruenerũt.

66. In quæſtione de præſcribendo hoc pacto, profitemur religionem eſſe nobis, ab Imperialis Cameræ deciſione recedere, quam nullam omnino præſcriptionem in hoc pacto admittere conſtat.

Concluſiones impertinentes, contra communem DD. opinionem.

I. (mus.

STipulationẽ hoc modo conceptã: Promittis mihi decẽ, ſi alter reſpondeat, Promittuntur, ualere docebi-

2. Quemadmodũ & illud, quod ſi ſtipulanti mihi decem, tu uiginti promittas, uel econtra: in decem ſtipulatio ualebit.

3. Oſtendemus quoq;, Baldi ſententiam, qui arbitrabatur uehementẽ opinionem ſufficere, ad tranſmiſſionem iuris deliberandi, non eſſe probabilem.

4. Pactũ de trãsferendo rei uenditæ dominio, cõtractui uenditionis contrariũ nõ eſſe, planũ faciemus.

5. Bulgari quoq; opinionem, qui non iuſta de cauſa emancipato filio, bonorum omnium quartam tribuit, de iure ueriorem eſſe docebimus.

Diſputabuntur hæ Theſes (fauente Deo) proxima die Iouis, quæ erit 14. Octobris, hora media octauæ, in ſcholis Canoniſtarum.

INGOLSTADII EX TYPOGRAPHIA VVEISSENHORNIANA.

74

A. 1560